

CARMEN HEROICVM, IN HONOR REM DOCTORATVS IVRIDICI, CLARISSIMI VIRI. D. CAR- SPARI MACRI, ARTIUM & PHILOSOPHIÆ DOCTORIS, AC ORATORIÆ PROFESSORIS SOLER- TISSIMI, AUTHORE IOANNE VUIDMERO SALZBURGENSI.



I quis ab obscuris spissæ caliginis umbris
Excuteret coecos humanæ mentis ocellos,
Ac propius genio ductus meliore uideret,
Cur uoluis est eum uesci uitalibus auris
Ille Deus, qui res hominumq; Deumq; gubernat:
Non ita languentem traheret per membras soporem
Vilis homo, tanquam telluris inutile pondus,
Sed non Herculeos dubitaret adire labores,
Per quos utiliter res publica fracta iuuari
Posset, & afflictis melius confidere rebus,
Has etenim uoluit mortalem uoluere curas,
Et dedit idcirco cælesti luce potiri
Iuppiter altitonans, ut in hoc situs ille theatro,
Adferret fragili munima dulcia uite.
Hinc est diuinum mundo quod numen inertis,
Consilio salubri preclaras condidit artes,
Plurima communi præstantes commoda uitæ.
Has nisi diuino scirent mortalia dono
Pectora, magna statim rerum confusio cunctis,
Et fera barbarie succederet undiq; terris.
Sed quam sunt pauci, qui munera tanta capessunt,
Et sibi thesauros tales acquirere curant?
Aut Phlegethonæ mundus iam percitus æstro
Dira uenenato semper terit ocia luxu,
Aut tantum certe res exercere prophanas
raffurbat, quæ tunc per se stellæ omniæ
Publica priuato postponit commoda lucro.
Hoc cum Musarum non ultima Gloria Macer
Pectore mortali dignum minus esse uideret,
Noluit externis collum submittere curis,
Vllaue moliri proprij conamina questus,
Communi uero magis inservire saluti
Gestijt, & magno flagravit promptus amore.
Hoc satis egregie testatur uiuida uirtus,
Sedulitasq; uiri, longo qua tempore fulget,
Dum colit Angelici cultissima pratalycæi,
Atq; ibi primæ magna cum laude iuuentæ
Cuncta nouenarum pandit documenta sororum:
Quis nescit multis illum fœliciter annis
Illi cloquij monumenta diserta parentis
Enucleasse, patrem patriæ quem Roma uocauit?
Quis nescit multis illum formasse poëtas,
Ut iam sponte sua laudabile fundere carmen,
Et uarias possint Heroum condere laudes?
Iis nescit multis animis, linguaq; disertos
ijisse Virum solerti Rethores arte,
Sermonis torquere tonantia possint
ardentes uerbis sedare furores?
magno exequat & ipse poëtas,
non compacta poëmat a uersu
is immuni prodita luci.
um distincta colore,
e, uirentia prata,

139

Illi haud aliter, numeris expertia quando
Depromit Macer resolute gutture uerba,
Luxuriat uarijs oratio tincta figuris.
Scilicet imbelles, & ab omni Marte remotæ
Non bellatrices aquilas generare columbæ,
Nec possunt ululæ Paphios producere cygnos.
Conticeo, sacros longo quod tempore libros
Versarit, sanctosq; patres, diuosq; Prophetas,
Et quæcumq; uiam sacrata uolumina monstrant
Gaudia perpetuae reseruant uera salutis.
Non tamen idcirco tranquilla mente quieuit,
Sed maiora statim penetrare cacumina rerum
Mens fuit, ut tandem maiores sine peracto
Inde reportaret dulcis res publica fructus,
Continuo gemini numerosa uolumina iuris
Aggreditur, summo diuinitus orta Tonante.
Namq; horum toto creberrimus usus in orbe
Existit, generis multum qui seruit ad omnis
Publica sollicita tractanda negotia cura.
His sine rerum distinctio conforet ualla,
Quæ sua sint nemo, quæ sint aliena uideret,
In chaos antiquum sed secula cuncta redirent,
His sine languescens occumberet ardua uirtus,
Et uitium magna cum libertate uireret,
His sine nullus honor superis, sed inepta proter.
Auderent homines in aicere bella Tonanti,
Id quod Marticole quandam fecere Gigantes.
Quam sacrarum diuina scientia legum,
Cladibus a tantis latum quæ uindicat orbem.
O fœlix magno clarescens nomine Macer,
Qui tam præstantis studij, tantiq; Deorum
Muneris optatam dextro conamine metam
Contigit, & uasti post multa pericula ponti
Tuta frequentauit securi littora portus.
Non illi Syrtes, nullæ nocuere procellæ,
Non Austræ flantes, non Acolus ipse proterius.
Nunc igitur sedes tranquilla siure capessit,
Post exantlatos magna tot laude labores,
Tampq; graues casus, noster Tyrinthius heros,
Ergo ne Doctoris præclara insignia legum
Consequitur rubeo fulgens diademate Macer?
Consequitur: Phœbus, Musæ Charitesq; triumphant,
Atq; has letitia tollunt ad sydera uoces,
Desuper hos illi titulos diuina secundent
Numina, & in seros producant largiter annos,
Crescat ut inde pijs tandem sua gloria Diujs,
Et fractis hominum præsent solatia rebus.

Anno Domini M. D. LXIII.
VI. Calend. Febru.

IMPRESSVM INGOLSTADII PER
Alexandrum, & Samuelem Vueissen,
hornios fratres,

15.63

39

139
THE LOGICAL CATEGORIES

卷之三

卷之三